Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800

Quelle:
Copyright:

et 2061. Atque praesens quidem cum priore illorum perfecte con-

gruit; itaque non est, cur ibi dicta repetam. Ad calcem legitur:

Anno Trecenteno Milleno quarto vigeno
Defensor est iste perfectus festo Baptiste.
Tibi laus et gloria Christe.

Unde, sive de absolutione, seu de descriptione Operis intelligas, Codici autoritas accedit.

II. *fol.* 117. *Incipit tractatus de translacione Imperij Editus ab Magistro Marsilio de Padua continens Duodecim capitula.* En, quo Codex supra citatos excellit. Tractatum hunc, cujus titulo postea etiam *Jordanus Osnabrug. Flacius Illyr.* et Card. *Bellarminus* usi sunt, post *Flacium*, *Schardium* et *Goldastum* edidit *Edw. Brown* T. II. seu *Append. Fasciculi Rer. expetend. et fugiendar. Lond.* 1690. p. 55. f. quae Editio collatione cum Exemplo praesenti non uno loco perfici posset. Ita statim in praevio Elencho, ubi *Brownius* tantum: *Qualiter Romanum Imperium per 33. Imperatores permansit;* Noster legit: *Qualiter Romanum Imperium per 33. Imperatores et 324. annos et quinque menses Rome sine mutatione permansit.* C. I. illi sic init: *Quoniam in eo, quem Defensorem Pacis habemus, tractatum fecimus — diximusque* &c. Nobis sic: *Quoniam autem in eo, quem Defensorem Pacis tractatum fecimus — diximus* &c. Et paullo post ille: *Et quia ejus scripturae in quibusdam nostra sententia dissonat, praesertim in quibus jura laesit imperii secundum sententiam propriam absque demonstratione sufficienti.* Nos: *Quamuis eius scripture in quibusdam Jura leserint Imperij — probacione sufficienti.* Sunt tamen alia multa, in quibus melior est *Browniana* lectio, quam nostra.

III. *fol.* 122. *Incipit cathalogus Imperatorum Romanorum vsque ad nostra tempora.* Praefamen hujus Chronologiae ita incipit: *Postquam Julius cesar superato Pompeio et eo mortuo solus sibi dictaturam et consulatum assumpsit ac omne Imperium, repetitus est Rome mos, ut uni soli omnes obedirent.* Imperatores dividuntur in eos, *qui Rome prefuerunt*, quorum postremus ponitur *Tyberius Constantinus*, in *Imperatores Grecorum*, usque ad *Irenem*, in *Francos, qui prefuerunt Romano Imperio*, ubi *Ludwico Arnulphi* Filio subnotatur: *Hiis temporibus franci perdiderunt Imperium, quia nolebant adiuuare Romanam ecclesiam contra Sarracenos, sed eam grauiter infestabant. Et nota, quod usque ad primum Ottonem confuse imperatur. Nam quidam in ytalia, quidam vero in Alimania imperare ceperunt, ut subiecta docent.* Ponuntur ergo *Imperatores ytalie* a *Guidone Spoletano* ad *Berengarium* IV. et *Imperium Theotunicorum*